



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. III. Quæ requiratur materia voti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

sec. 1. Galii, contendunt talem non posse dici promittere. Verum videtur esse quaestio de nomine. Si vero haberet animum vovendi & se obligandi, non tamen implendi, tunc etiam graviter peccaret, & votum esset validum. *Sanch. Fill. Bonac. p. 1. num. 14. Lay. &c.*

DUBIUM III.

Quaeratur materia voti?

Resp. Ea debet esse possibilis; (cum impossibile nec efficaciter possit intendi, nec ad illud sit obligatio) & non solum bona, sed etiam melior, quam oppositum, sive ejus ommissio: quippe finis intrinsecus voti est, honorare per hoc Deum: id autem non potest fieri, nisi offeratur illi aliquid gratum, gratum autem esse non possit, ut quis obligetur ad relinquendum id, quod est melius. *Sanch. l. 9. c. 7. Laym. Navar. &c. Unde resolves.*

I. Invalidum est votum nunquam peccandi venialiter, cum id moraliter & ordinariè sit impossibile. Aliqui tamen volunt, sic voventem teneri in isto voto ad vitanda mortalia, & venialia graviora, de quo *Scholastici. Navar. c. 12. n. 65. Suar. l. 2. c. 3. Sanch. de mat. l. 9. d. 35.*

II. Invalidum est votum de re vana, vel inutili, vel indifferente, nisi ex circumstantiis, ut sine fiat bona: quia Deo displicet stulta promissio, & hinc eam non acceptat: ac peccat venialiter talia vovens: ut v. g. si quis decidens ex equo, voveat non amplius equum ascendere. *Nav. c. 12. Sanch. 4. mor. c. 7.*

III. Invalidum est vovere mala: & qui vovet mortale, peccat mortaliter; qui autem veniale, cum

ve-

venialiter tantum peccare dicit *Sa, Sylv. & c. V. juramentum*: licet mortaliter peccare velit, *Caj. V. votum, & Less. l. 2. c. 4. d. 5.* quod videtur probabilius.

IV. Invalidum est votum, cui adjungitur finis, vel alia circumstantia mala tenens se ex parte rei votæ, ut v. g. vovet quis eleemosynam ad obtinendam vanam gloriam, aut impetrandum per eam victoriam injustam, felicem successum furti, adulterii, &c. aut ingratiarum actionem pro successu talis peccati: quia datio eleemosynæ in talem finem, est actio blasphema, quasi Deus peccata promoveat, ideoque non potest esse materia voti. *Cajet. Nav. l. 12. Sanch. c. 6. Laym. l. 4. t. 4. c. 2. n. 6. Fill. t. 26. c. 5.*

V. Validum autem est, etsi ei adjungatur finis, vel alia circumstantia mala tenens se tantum ex parte voventis; ut v. g. si quis ex vana gloria, aut ex ira erga importunum mendicum, voveat ei dare eleemosynam: quia tunc res ista bona est, quam vovet, licet ipse voveat male, & cum peccato. *ib.*

VI. Validum item est votum factum ex affectu erga rem bonam, ut bona est, etsi conjuncta cum causa mala: ut si quis voveret eleemosynam, si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto, si filius sibi nascatur ex adulterio, quod parat, &c. licet enim duellum, furtum, adulterium velle, malum sit, tamen his positis non lædi, non infamari, prolem gigni, mala non sunt, sed Dei dona: & votum non cadit super ista mala, sed super hæc bona, considerata (ut pono) quatenus in se bona sunt. *Navar. Laym. l. c.*

VII. Invalidum est, & veniale peccatum, vovere bonum, quod est impeditivum boni majoris,

ut præsertim sunt vota contra consilia Evangelica; ut v. g. manere in seculo, ducere uxorem, ire ad militiam, facere mercaturam, *Nav. n. 29. Suar. Fill. c. 1. q. 7. n. 5. Sanch. &c.*

VIII. Si tamen aliquod bonum per se, & absolute minus, fieret per accidens majus bonum, tunc talia votare valer, ut v. gr. si quis videret suspensionem ordinum sibi damnosam, *v. Bon. p. 1.*

IX. Matrimonium ordinariè invalidè votetur, quia ordinariè melior est cælibatus. Dixi, *ordinariè*: quia validè votetur. 1. si quis ad hoc obligetur, ut quia sine injuria, aut gravi infamacione sponsæ, vel liberorum ex ea conceptorum, à sponsalibus non potest recedere. 2. si id Reipub. valdè utile futurum existimetur, ut, quia v. g. ex eo spectatur pax inter Principes, conversio hæreticorum, regni tranquillitas. 3. si quis ob fragilitatem, & inveteratam consuetudinem peccandi, ad eò sit pronus ad lapsum, ut prudentes judicent consultum ei esse, ut nober: in quo tamen ultimo *Laym. & alii* dissentiunt *v. Bon. l. c. Fill. n. 6. Nav. Suar. l. c. Laym. n. 22.*

DUBIUM VI.

Quæ, & quanta sit obligatio voti?

Resp. Tanta est, quantam tum quantitas materiæ permittit, tum intentio voventis, qua se vel multum, vel parum, vel absolute, vel cum certa conditione, restrictione temporis, qualitaris, obligare vult, designat: ita, ut etsi obligatio voti sit juris naturalis, vis tamen ejus pendeat à voluntate, & facto hominis; tanquam prævia conditione,
ut